



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Tvscvlano Episcopo apostolicæ sedis Legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

dant in nomine Domini Sabaoth. Datum Laterani VII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*NICOLAO TVSCVLANO*

*Episcopo apostolice sedis Legato, & P.*

*Subdiacono & familiari nostro.*

*Epiſt. 173.  
De denario B.  
Petri in Au-  
gia.*

**C**VM, sicut vestra discreto plenè novit, singulæ domus totius Angliae singulos denarios pro censu beati Petri annuatim nobis solvere teneantur, Praelati Angliae, qui eum nostro nomine collegunt, rem invito domino contrectantes, majorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere, cum nonnisi trecentas marcas nobis persolverint, & sibi mille vel amplius usurparint. Ut igitur jus Ecclesiæ Romanae servetur illæcum, discretioni vestra præsentium auctoritate districte præcipiendo mandamus quatenus prius recipientes ab eis denarium ipsum, prout haec tenus exsolverunt, & eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, firmiter postmodum ex parte nostra injungatis eidem ut residuum cum integratæ persolvant. Non enim videmus quo jure valent se tueri, cum nec concessionem possint ostendere à sede apostolica sibi factam, nec centenariam contra Romanam Ecclesiam præscriptionem probare, maximè si tempora \* schismatum subducantur. Si tamen de jure voluerint experiri, præfigatis eis terminum competentem quo per responsales idoneos nostro se conspectui reprecentent, quicquid juris super iis habuerint ostensuri, protestatione præmissa, quod si judicio duxerint contendendum, nos quicquid haec tenus est subtractum, in ipso iudicio repetemus. Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*TVSCVLANO EPISCOPO*

*apostolica sedis Legato, & Noruicensi*

*& Wintoniensi Episcopis.*

*Epiſt. 174.  
Scriptor pro  
Richardo de  
Marisco.  
Fuit in posse  
Episcopus Du-  
nelmensis ann.  
1119, ut docet  
Matthaeus Paris.*

**C**VM quidam Pontifices & Ecclesiæ rum Praelati de Anglia, qui à dilecto filio Richardo de Marisco jamdudum regis obsequiis infundante in multis existimant se offensos, in quibus fortè culpabilis non existit, moliantur eidem, sicut accepimus, gravamina irrogare, nos ipsi volentes super hoc paterna sollicitudine providere, fraternitati vestra præsentium auctoritate mandamus quatenus quolibet molestatores ipsius ab ejus indebita molestatione per censuram ecclesiasticam ap-

pellatione postposita compescatis. Quod si non omnes iis &c. Vos denique fratres Episcopi &c. Datum Laterani v. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*TVSCVLANO EPISCOPO*

*apostolice sedis Legato.*

**L**ICETOLIM duxerimus providendum ut clerici Angliae, qui pro discordia inter facerdotium & regnum exorta excommunicationis fuerunt vinculo innodati, cum litteris venerabilis fratris nostri Stephani Cantuariensis Archiepiscopi S. R. E. Cardinalis rei veritatem plenariè continentibus ad apostolicam sedem accedenter absolutionis beneficium petituri, & dilectus filius Richardus de Marisco Clericus Regis sine hujusmodi litteris ad nostram venisse præsentiam dinoscatur, quia tamen non creditur id ex contemptu fecisse, sed ejusdem Regis potius urgente mandato, qui ad nos cum festinantia destinabat eundem, nolumus ut ea occasione ab aliquo molestetur, maximè cum ratione & aliis regis negotiis impeditus, facile non valeat super hoc denuo ad sedem apostolicam laborare. propter quod nos sibi despeciali gratia super præmissis fecimus beneficium absolutionis impendi. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si eundem propter hoc ab aliquibus contigerit molestari, tu eos ab ipsius molestatione, motione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellazione remota compescas. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani ut suprà.

*RICHARDO DE MARISCO*

*Archidiacono Norumbrie.*

**S**ACROFANcta Romana Ecclesia &c. n*f* que concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis que in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, ut donec te dignum reddideris, apostolica valeas protectione gaudere. Nulliergo &c. nostræ protectionis &c. Si quis &c. Datum Laterani i i Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*Epiſt. 175.  
Super codem.*

*Epiſt. 176.  
Recipitur sub  
protectione B.  
Petri.*